1905.

Tract: 4. De actibus humanis in Specie. Disp. 3.

Prop. 53. Ad actum humanum seu moralem ex obiecto et fine v.g. ad largitionem eleemosynae in satisfactionem pro peccatis tres saltem actus requirere: n: intentione satisfaciendi pro peccatis, volitionem dandi eleemosynam, et exteriorem eleemosynae largitionem, quae eliciatur a potentia exteriori ex imperio voluntatis; ex his intentio satisfaciendi est actus pure imperans, et elicitus, executio exterior est actus imperatus. Volitio dandi eleemosynam est actus simul elicitus, et imperatus, elicitur n. a voluntate ex imperio virtutis poenitentiae intendentis Deo satisfacere pro peccatis. de primo actu, sive intentione satisfaciendi, nulla est difficultas; specificatur n. ab honestate satisfactionis, tanquam ab obiecto, et fine intrinseco. De 3tio, sive actu exteriori, et pure imperato eadem est ratio, quae de intentione, sive imperante, cum quo est unus actus in genere moris consummat. Quaestio igitur procedit de 2do actu volitione scilicet dandi eleemosynam, ut a poenitentia imperatur.

Prop. 56. Dictam volitionem dandi eleemosynam posse dupliciter considerari. Primo reduplicative, in quantum imperatur a poenitentia, atque media electa ad satisfaciendum. 2do. specificative in quantum est actus misericordiae, respiciens honestatem